



De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

17 Vtrùm si fama alia via sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere, v. g. si virorum grauium testimonio, vel probitate vitæ penitus absterserit infamiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

cessat obligatio Iustitiæ commutatiuæ; atqui hinc nec tota fama, nec pars pretio æstimatur ex a quo, quod confirmatur Primò; Quia alioqui infamator posset eam pecuniâ compensare, etiam nolente infamato; sufficit enim ut restituat id, quod æstimatione æquale est. Confirmatur Secundò, Si vir diues pro compensatione infamiæ acceptæ pecuniâ exigat, ridiculus erit, eò quòd exigat id, in quo nullum damnum accepit, quodque non solet pretium vel rotius vel partis famæ censeri. Vnde sequitur, eandem esse rationem pauperis: nam status eius, qui iniuriam accepit, non mutat Ius, seu rationem Iustitiæ commutatiuæ. Fieri tamen potest, ut ex quadam æquitate, & etiam ex charitate tenearis infamiam pecuniâ compensare: nimirum, si infamatus sit pauper, qui talem satisfactionem desideret, nec aliter merorem videatur depositurus; & is qui infamauit sit diues. Sicut enim ratione alicuius coniunctionis vel beneficij accepti, lex charitatis me magis obligat erga hunc quam erga istum; ita etiâ ratione alicuius incommodi, quod alteri ex me obuenerit; ut si aliquem induxi in peccatum, magis ego ex charitate teneor illum emendare, quam alius, & quam alium, ceteris paribus: ut patet ex dictis cap.8. dub.1.

95
Aliquando
ex charitate
tenemur.

96 Dico Secundò, Si infamator per Iudicem condemnatur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo quem infamauit certâ pecuniâ summâ, tenetur ex iustitiâ eam numerare. Probat; quia supposita tali iniuria, potest Iudex in pœnam criminis talem satisfactionem imponere, & ille ex iustitiâ tenetur eam exequi, quia iustæ sententiæ tenetur ex iustitiâ parere. Idem posset Iudex, etiam si fama iam esset recuperata, idque in pœnam prioris delicti; quia potest iustæ pœna punire delicta, etiam post damna facta. Similiter pacta & conuentiones iustæ obligant: atqui hoc pactum potest esse iustum; quia infamatus habet ius acculandi infamatorem, & etiam exigendi restitutionem, quando erit possibilis: vnde ut hoc iure cedat, & omne debitum condonet, potest certa pecunia pacisci.

97
Compensatio
infamiam
per pecuniâ.

Dico Tertio, Debitor pecuniæ, v.g. 100. aureorum, iniuste læsus in fama vel honore à creditore, non tenetur ad solutionem illius pecuniæ, sed potest ut compensatione secundum æstimationem damni accepti iudicio prudentis faciendam, si à creditore aliam restitutionem obtinere nequit. Sequitur aperte ex sententia eorum qui famam pecuniâ compensandam docent, quando aliter facere nequit. Quæ sententia est satis probabilis, & plurimorum DD. sicut & illa, quæ vitam ipsam, & cicatricem pecuniâ compensari vult. Si enim infamator tenetur dare pecuniâ, v.g. 100. aureos, pro infamia vel dedecore quod intulit, eò quòd aliter satisfacere nequeat, vel nolit: ergo alter potest eam exigere, vel si debet, potest non soluere. hæc enim omnia paria sunt. Quòd si infamator possit quidem restituere famam, sed nolit, tunc etiam in altera sententia tenetur vel famam restituere, vel certè tantum pecuniâ, quantum iudicio prudentis alter potest exigere. et si enim fama non possit, iuxta eam sententiam, pecuniâ æstimari; obligatio tamen illius restituendæ, qua ille tenetur, & incommodum quod læsus patitur, potest pecuniâ æstimari. Confirm. quia cum possit restituere, tenetur vel restituere, vel alia ratione ei satisfacere, ita ut ille liberè acquiescat.

DVBITATIO XVII.

Vtrum si fama alia via sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere. v.g. si virorum grauium testimonio, vel probitate vitæ penitus absterferit infamiam.

R Espondeo, Tunc non teneri ad famæ restitutionem, quia iam restituta est; sicut si dominus recuperauerit vel sua vel aliorum opera equum, quem sustulisti, non teneris ad restitutionem; quia non potest bis eandem rem accipere. Si tamen interea ratione infamiæ aliquid damni accepisset, v.g. si impeditus fuisset à consecutione beneficij, officij, vel legati, teneris ad illius compensationem; quia hoc damnum ex iniusta tua infamatione illi obuenerit. Vtrum autem aliquid sit restituendum pro ipsa infamia, quam ille medio tempore vsque ad illam recuperatam subiit, quæri potest. Sed respondendum est, deberi aliquam satisfactionem, si putetur illam velle (quod addo, quia alioquin teneretur condonata, nec consuetum est aliàs offerre) nempe significatione doloris & veniæ petitione, vel honore aliquo aut laude, iuxta conditionem personarum: ut rectè docet Petrus Nauarra lib.2. cap.4. n.421. & Nauarrus cap.18 num.47.

98
Si fama
reconcilia-
ta.

99
Pro infamia
medij
temporis.

DVBITATIO XVIII.

Vtrum si infamia iam penitus abierit in obliuionem, sit restituenda. v.g. Infamauit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitus obliuiscuntur.

R Espondeo, Teneri restituere etiam post viginti annos, si periculum est, ne aliquando illa infamia reuiuiscat: quod facile fieri potest, nam homines data occasione facile recordantur eorum quæ antea exciderant; quod maximè locum habet, quando falsum impositum fuit, ut docet Caiet. q.62. art. 2. si enim verum fuit, non facile memoria renouanda, nisi periculum sit euadens. quòd si putetur nullum esse periculum, non tenebitur, ut docet Nauarrus c.18 num.47. contra Caietanum; quia fama iam censetur restituta, vel certè damnum illatum omnino euauisse; idque verum est, siue crimen fuerit verum, siue falsum, ut ibidem Nauarrus.

100

DVBITATIO XIX.

Vtrum totum damnum, quod sequitur ex infamia, sit compensandum.

R Espondeo, & Dico Primò, Damnum quod sequitur ex infamia falsa, est integrè reparandum. Est communis sententia DD. Ratio est; quia hæc infamia est penitus iniuriola. impositio enim falsi criminis duplicem continet iniuriam. Primò, calumniam, eò quòd crimine impingatur ei, qui

101
Damnum
ex infamia
falsa.